Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift

filius meus tuus mortuus est meus autem uiuit. Alia e respon
debat mentiris filius quippe meus uiuit filius tuus mortuus
est. atque in hunc modum contendebant coram rege. Tunc rex
salomon quem manifeste saluator accipitur secundum psalmum sep
tuagesimum primum qui titulis salomonis inscribitur ubi nul
la dubitatio est quin cuncta quę dicantur non salomoni mor
tuo sed christi conueniant maiestati. Simulat ignorantiam et
humanus per dispensationem carnis mentitur affectus. sicu
ti et in alio loco. ubi posuistis lazarum. et ad mulierem
fluentem sanguine quis me tetigit. gladium postulat de
quo dixerat. Nolite putare quod uenerim pacem mittere super
terram. non ueni pacem mittere sed gladium. Veni enim diuidere
hominem contra patrem suum. et filiam contra matrem suam. et nurum
contra socrum suam. et inimici hominis domestici eius. Et
temptat naturam naturę dominus. uultque secundum utriusque uo
luntatem uiuentem filium in legem gratiamque diuidere. non quo
hoc probet. sed quo ad argumentum tendat calumniam synago
gę hoc utile se dicat. Itaque nolebat ęcclesię filium in gratia ui
uere nec per baptismum liberari. Libenter habet diuidi pu
erum. ut non possideat sed ut interficiat ęcclesia quem fert suum re
linquit concedit ęmulę dum uiuat saltem apud aduersarium. ne
inter legem diuisus et gratiam saluatoris mucrone feriatur.
Unde dicit et apostolus. Ecce ego paulus dico uobis. quod si legem obserua
bitis christus uobis nihil proderit. Item alio modo. quod in hac sententia
melius per matrum lactantium nomina. n doctorum ordo. quod
uero per partum filios. n discipulorum persona signatur. Nam magistri
nimirum uigilantes quidem scientia sed uita dormientes.
audientes suos quos per uigilias predicationis nutriunt
dum quod dicunt facere negligunt per somnum torporis